



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Episcopo Et Decano & R. de sancto Medardo Canonico Silvanectensibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

EPISCOPO ET DECANO

*& R. de sancto Medardo Canonico
Silvanectensibus.*Epist. 3.
De eodem nego-
cio.

Cum dilectus filius Abbas Corbeienfis ad nostram presentiam, ut Ecclesie sue procuraret negotia, duxerit accedendum, pati aliquatenus non debemus ut si quid, postquam iter arripuit ad nostram presentiam veniendi, a quoquam est in ipso Ecclesie gravamen & sui prejudicium attentatum, obtineat firmitatem. Ideoque discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus si quid, postquam idem Abbas iter ad nos veniendi arripuit, attentatum inveneritis in sui prejudicium & Corbeienfis Ecclesie detrimentum, illud in irritum sublato appellationis obstaculo revocetis, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compecentes. Quod si non omnes &c. tu, frater Episcopo, cum eorum altero ea &c. Datum Laterani v. Kal. Martij, pontificatus nostri anno tertio decimo.

R. ABBATI SANCTI MARTINI
*Laudunensis Premonstratensis ordinis.*Epist. 4.
¶ monasterij
sui sollicitam
curam gerat.
Cap. Intellexi-
mus. De atate,
qual. & ordine
praesentia.

Intelleximus quod cum antequam esset assumptus ad regimen abbatiae in monasterio tuo fueris laudabiliter conversatus, ad monasterium sancti Vincentij Laudunensis nigri ordinis accessisti, ubi cum aliquandiu in ipso habitu permanisses, demum ad cor reversus, de Metropolitani & aliorum religiosorum consilio ad primam domum curavisti redire, in qua tandem in regularis observantiae disciplina taliter Deo & hominibus placuisti quod pro tuorum exigentia meritum fratres tui te sibi praefecerunt unanimiter in pastorem. Quia igitur in suscepto regimine laudabiliter diceris profecisse, ne occasione morae quam in praedicto monasterio protaxisti, quasi de ipsa teneram conscientiam retinendo, in susceptae administrationis executione tepescas, attendentes quod in canone cautum est ne quis Canonicus regularis, nisi, quod absit, publice lapsus fuerit, efficiatur monachus, & si factus fuerit, ad ordinem canonicum revertatur, ultimus in choro manendo, cucullam in memoriam delaturus, discretionem tuam monemus attentius & hortamur, per apostolica tibi scripta mandantes quatinus circa curam gregis tibi commissi sollicitudinem gerere studeas indefessam, & taliter frequentia bona continuare prioribus quod dignum exinde possis a Deo meritum ex-

* in quarta col-
lect. quasi ipsa
te conscientia
remordeat, in
sule.
* 19. q. 3. cap.
Mandamus.

pectare. Datum Laterani vii. Kal. Martij, pontificatus nostri anno tertio decimo.

RODERICO TOLETANO
*Archiepiscopo Hispaniarum Primati, ejus-
que successoribus canonicè substituendis in
perpetuum.*

Sacro sancta Romana Ecclesia in beato Petro Apostolorum principe ab ipso salvatore omnium Domino Iesu Christo, caput est Ecclesiarum omnium constituta. Unde membra non decet a capite dissidere, sed eminenti rationi & supernae provisioni capitis obedire. Moderatrix autem discretio capitis, singulorum membrorum officiosas actiones considerans, unicuique jus & ordinem a natura constitutum conservat, & quibuscunque nobilibus venustatis suae dignitatem sine invidia sociali caritate custodit. Hac igitur ratione prudenter induci, jura nobilis & famosae Toletanae Ecclesiae apostolicae sedis propriae ac specialis filiae conservare volentes, tuis, venerabilis frater Roderice, quem vera in Christo caritate diligimus, rationabilibus postulationibus paterna pietatis affectu duximus annuendum. Ideoque per praesentem privilegij paginam, ad exemplar felicitis recordationis Urbani, Gelasij, Calixti, Honorij, Eugenij, Adriani, Alexandri I. Alexandri II. Alexandri III. Urbani, & Caesitini praedecessorum nostrorum, primatus dignitatem per Hispaniarum regna tibi & Ecclesiae Toletanae auctoritate apostolica confirmamus, teque Primatem Praefules Hispaniarum respicient, & ad te referent si quid inter eos dignum exortum fuerit questione. Salva tamen in omnibus apostolicae sedis auctoritate. Verum personam tuam in manu nostra propensionis gratia retinentes, censemus ut solus Romani Pontifis iudicio ejus causa, si qua fuerit, decidatur. Sanè Toletanam Ecclesiam praesentis privilegij stabilitate munientes, Complutensem parochiam & Concham ei tamquam metropoli subditas esse decernimus cum terminis suis, necnon & Ecclesias omnes quas jure proprio ab antiquo possedisse cognoscitur confirmantes. Episcopales praeterea sedes quas in praesentiarum justè & canonicè possides, scilicet Palentiam, Segobiam, Oxomam, Seguntiam, reliquas verò quae ab antiquis ei temporibus subiacebant, cum Dominus omnipotens Christianorum restituerit potestati suae dignatione misericordiae, ad caput proprium referendas decreti hujus auctoritate sancimus, Porro illarum dioeceses civitatum